

» beam, me iniquo Theoninove dente neutiquam rosum &
 » carptum iri, si quantum cæteris ad res alias obeundas, quan-
 » tum in hac ultimâ & effœta mundi senectâ, ad voluptates &
 » computationes, quantum ad ipsam requiem animi ac cor-
 » poris conceditur temporis, tantum egomet mihi ad studia
 » Humaniora. Discipulis commendanda sumpsero. Idcirco
 quum hætenus in diversis versatus fuerim Autoribus, quâ
 Latinis, quâ Græcis, explicandis & explanandis, adeoque
 in utraq; tam prosâ, quam versâ, uti vocant, oratione, opti-
 mos pervolutaverim Scriptores, quos hic recensere forsitan
 tædiosum foret, & nunc Græcanicæ Poëseos Principem,
 Fontem arcanæ Sapientiæ, apicem ingeniorum, fastigium
 scientiæ ac culmen, uti eum Delitium humani Generis,

Centur. 1. ad

Unicus Aonii Lipsius orbis Honos,

Belg. Ep. 87.

salutare consuevit, ut qui ob præstantiam sive ingenii sive
 potius furoris ἐνθὺς, ἀριστὸν καὶ θεϊότατον ποιητῶν, à *Plu-
 tarcho* fuerit appellitatus, HOMERUM nempe, cœlestis inge-
 nii vatem, qui omnibus scribendi argumentum dedit,

- - ex cuius ore profuso

Omnis posteritas latices in carmina duxit.

DEO benignissimo feliciter adjuvante & labores nostros fe-
 licitante, redauspicaturus sim, ejusq; Autoris monumenta
 celebraturus, qui non tantum, si ἀπὸ Νωννάκω, ut *Suidas* ha-
 bet, res æstimetur, inter omnes profanos Scriptores, anti-
 quissimus est; sed etiam omnium Eruditorum consensu,
 Princeps ingenii, doctrinæ, sapientiæ habetur primus & u-
 nicus; arbitror, me nullam rem periculi, sed potius aliquod
 operæ facturum pretium, si antequam in ipsa Poetæ me in-
 sinuem penitralia, & uberrimum ingeniorum omnium
 Oceanum:

Blin. lib. 17.

6. f.

ἐξ ὑπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα,
 καὶ πᾶσαι κρηναί, καὶ φρεῖατα μακρὰ νάσον,

ena-